



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

LXX. An non solùm ingredi Monasteria Monialium, sed etiam ea sine iusta causa, & licentia superioris adire, vel frequentare sit iure prohibitum? Vbi etiam de locutione, & scriptione ad Moniales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

resol. 35. Peregrinus tract. de duello, quest. 37. num. 3. Homobonus part. 1. tract. 7. cap. 17. quest. 26. & in tract. de statib. part. 1. cap. 24. & alij, quos dict. dub. 28. citabam contra Grassium in pract. lib. 1. cap. 5. numero 17. Riccium in pr. xi. tom. 1. resol. 544. num. 5. Chapeauillam tract. de casibus reservatis, cap. 14. quest. 3. difficult. 2. Zerolam verb. Moniales, ad quest. 8. & Zecchium de casibus reservatis, cap. 10. num. 1. Rationes, & solutiones ad opposita vide cit. dub. 28. 81. & 82.

14 Item secundò, potest absoluerè quilibet Confessarius approbatus virtute Bullæ Cruciatæ, semel in vita, & semel in morte. Doctores in locis supra citatis: & ego dicebam dict. dub. 28.

15 Item possunt Regulares virtute privilegiorum suæ Religionis, si casus similiter sit occultus, uti supra dicebam de Episcopo, quia tunc huiusmodi casus est Episcopalis, ut patet ex dictis de Episcopo, & rectè adnotant Sanchez lib. 4. moral. cap. 54. numero 27. & Merolla tom. 1. disp. 1. cap. 2. numero 540. & ego dicebam lib. de Parnam. d. b. 4.

16 sect. 19. subsect. 31. pag. 85. Quapropter si non fuerit specialiter sibi referuatus ab Episcopo, absolui poterit virtute privilegiorum suæ Religionis à Regularibus, ut ibidem probabam, ubi vltius propter eandem rationem subdebam, quod Regulares possint etiam absoluerè à casibus, & censuris in iure latis, propter quas excusantur aliqui adire Sedem Apostolicam, ob aliquod impedimentum, quales sunt senes, impuberes, mulieres, membris destituti, valetudinarij, deliciofi, ac nobiles habentes curam aliorum, filij sub patris potestate, serui habentes capitales inimicitias, pauperes, qui non nisi mendicando (præter solitos) ire possunt Romam, & alij, de quibus in tit. de sentent. excommunic. Hi enim omnes casus, sicuti possunt absolui ab Episcopis, ita & absolui possunt à Regularibus, si ab Episcopis specialiter non fuerint sibi referuati; idque tum ob rationem dictam, tum quia mens Pontificum in suis decretis derogatorijs fuit tantum derogare privilegijs Regularium in casibus, in quibus adeunda esset Sedes Apostolica, quæ in prædictis casibus adeunda non est.

- 3 Qui cogitavit se transferre ad Monasterium, & iter inchoavit, sed ab inchoato itinere desistit, non dicitur accedere ad Monasterium.
- 4 Qui domum Monasterio contiguam habet, & è fenestra suæ domus Monialem alloquitur, non dicitur ad Monasterium accedere, quia non dicitur se ad Monasterium transferre, cum ibi existat.
- 5 Mittens seruum ad Monasterium propriè non dicitur ad Monasterium accedere: Missus tamen propriè accedit, & sic iste pœnas accedentium incurrit, nisi iusta causa excusetur.
- 6 Qui consentit, vel cooperatur ad alterius accessum, nec pœnas accedentium incurrit, cum ipse non accedat.
- 7 Qui obtenta licentia accedendi ad Monasterium, & loquendi cum aliquo ibi, si aliquam data occasione alloquitur, non violat præceptum prohibens accessum; secus si præceptum sit de non loquendo.

Respondetur affirmatiuè: patet ex cap. Monasteria, de vita, & honest. cleric. ibi: Monasteria Monialium si quisquam clericus sine manifestâ, & notabili causa frequentare præsumserit, per Episcopum arceatur; & si non desiterit, ab offi. 10 Ecclesiastico reddatur immunis; si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni. Item ex cap. periculofo, de statu Regul. in 6. ibi: Nullique aliquatenus inhonestæ persone, nec etiam honestæ, nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia ingressus, vel accessus pateat ad easdem Moniales. Quod caput periculofo, innouatur à Tridentino sess. 25. de Regul. cap. 5. & à Pio V. in Motu, qui incipit: Circa pastoralis officij, ibi: Approbamus, & innouamus in omnibus, ac per omnia, & districte observari mandamus. Et probatur ratione, quia conducit ad perfectam Monialium clausuram, non solum ingredi, sed etiam non adire ipsarum Monasteria.

Ceterum adire, seu accedere ad Monasterium, est ille actus, quo quis se transfert, vel transferri finit ad Monasterium; sic communiter Doctores.

Hinc qui cogitavit se transferre ad Monasterium, & iter inchoavit, sed ab inchoato itinere desistit, non dicitur accedere ad Monasterium, quia aliud est inchoare iter causa accessus, & aliud re ipsa accedere, præsertim quia verba cum effectu intelligi debent; l. 1. §. hæc verba, ff. quod quisque iuris, l. quoties, ff. qui satisf. cog. & cap. si à Iudice, de appell.

Secundò, qui demum Monasterio contiguam habet, & è fenestra suæ domus Monialem alloquitur, nec dicitur ad Monasterium accedere, quia non dicitur se ad Monasterium transferre, cum ibi existat: accessus enim indicat motum ad aliquem locum, sicut recessus motum ab aliquo loco. Grass. lib. 1. decis. cap. 12. num. 23. & Homobon. de casib. reserv. punct. 2. casu 5.

Tertid, qui seruum, vel alium ad Monasterium mittit, nec propriè dicitur ad Monasterium accedere; missus tamen propriè accedit, & sic iste pœnas accedentium incurrit, nisi iusta causa excusetur, ut quia magnum incommodum pateretur non accedendo; lex etiam positiva non obligat cum magno incommodo: sic Grass. part. 1. consil. 22. de sent. excommunicat. num. 35. & Homobon. loco supra cit. vers. 4.

Quartò

DUBITATIO LXX.

An non solum ingredi Monasteria Monialium, sed etiam ea sine iusta causa, & licentia Superioris adire, vel frequentare sit iure prohibitum? Vbi etiam de locutione, & serptione ad Moniales.

SECTIO I.

Dubitationis. resolutio.

SUMMARIVM.

- 1 Ingredi Monasteria Monialium, eaque sine licentia frequentare, & sine iusta causa, est prohibitum.
- 2 Adire, seu accedere ad Monasterium est ille actus, quo quis se transfert ad Monasterium.

- 6 Quartò, qui consentit, vel cooperatur ad alterius accessum, nec penas accedentium incurrit; cum ipse non accedat, ut suppono; est tamen reus eiusdem peccati, cuius est accedens.
- 7 Quintò, qui obtenta licentia accedendi ad Monasterium; & loquendi cum aliqua ibi, aliam data occasione, alloquitur, nec violat præceptum prohibens accessum; cum iam licite accedat, secus si præceptum sit de non loquendo, vel de non accedendo, & loquendo simul, seu de accedendo ad loquendum.

SECTIO II.

Aduertenda.

SUMMARIUM.

- 1 Nomina Clericorum in materia penali non veniunt Religiosi, nec Episcopi, nec alij Clerici in dignitate constituti, nec Canonici Ecclesie Cathedralis; veniunt tamen si verba simpliciter ita generalia sint, ut ad quolibet extendantur.
- 2 Ingressus & accessus quoad prohibitionem tam comprehendit viros, quam feminas.
- 3 In cap. periculoso, nulla pena imponitur accedentibus ad Monasteria Monialium; secus est in cap. Monasteria, ubi Clerici presumentes ea frequentare, si moniti ab Episcopo non desisterint, suspenduntur; si vero laici sint, excommunicantur non lata, sed ferenda sententia.
- 4 Verba (excommunicationi subdantur, & à cætu fidelium fiant penitus alieni) important censuras non latus, sed ferendas.
- 5 Excommunicatio simpliciter prolata, intelligitur semper de maioribus.
- 6 Particula (&) stat pro idest, quod contingit quotiescumque dictio copulativa ponitur inter duo, quorum unum est effectus alterius.
- 7 Dictio (&) posita inter duo, quorum unum inest alteri, ambo resolvuntur in unum.
- 8 Excommunicatio ferenda sententia contra frequentantes Monasteria requirit prænam monitionem, qua peracta, si semel contraveniant, puniri possunt.
- 9 Clerici etiam Monasteria frequentantes, si moniti non respicerint, ultra penas dicti cap. Monasteria, puniri possunt pena excommunicationis, ac tandem pena depositionis.
- 10 Frequentare Monasteria satis habetur per duos accessus; quia actus geminati consuetudinem inducunt.
- 11 Frequentia in criminibus duabus vicibus inducitur.
- 12 Frequentia quandocumque inducatur, relinquendum est arbitrio prudentis viri.
- 13 Frequentia est si quis in uno die bis accedat ad Monasterium, vel ter tribus diebus continuis, vel quater in eadem hebdomada, vel semel singulis hebdomadis, & mensibus; secus si quater in anno, vel semel ternis mensibus.
- 14 Nomine Monasteriorum, qua adiri, vel frequentari prohibentur, probabiliter veniunt Moniales, ita ut sumatur continens pro contento.
- 15 Frequentia Monasteriorum causa audienda diuina, vel videndi exteriora ornatum Monaste-

rij, vel simili alia de causa, non prohibetur; sed solum causa locutionis, sine aspectus, sine actus, sine passus Monialium.

- 16 Frequentia, vel etiam accessus ad Monasteria, ut non sit prohibitus, requiritur manifesta causa & rationalis, non omnibus, seu maiori parti populi, sed concedenti.
- 17 Consanguinitas non est simul rationalis, & manifesta causa, excepta tamen secundum aliquos, parentum, fratrum, & sororum frequentia.
- 18 Limita nisi extet peculiaris prohibitio contra quasvis consanguineas accedentes; fieri enim potest ut iusta subsit causa dicta prohibitionis.
- 19 Frequentia, vel etiam accessus ad Monasteria ne sit prohibitus, requiritur etiam præter rationabilem, & manifestam causam licentia superioris, vel tacita etiam.
- 20 Scriptura non est de ratione privilegij, nisi sic de iure decernatur.
- 21 Afferuntur diuersa iura prohibentia loqui cum Monialibus: vide ibi, ubi etiam decretum sacre Congregationis Cardinalium de anno 1590, ut nulli Religioso, exceptis superiore Monialium, & Confessario ordinario, & extraordinario, cum ad tempus deputatur, liceat sine licentia eiusdem Congregationis accedere.
- 22 Confessarius pariter interdictum est sub pena vocis actus & passus, ne in adibus Monasterij, vel ei contiguus pernoctent, vel alios pernoctare faciant, &c.
- 23 Roma promulgatum est decretum à Vicario Pontificis, de illius commissione, ne vir, vel femina nocte, aut die loquatur, vel scribat alicui Moniali, vel Prelata, vel Puella in Monasterio quacumque de causa inclusa, sine Vicarij Pontificis, vel Ordinis Protectoris licentia, sub pena 500. aureorum, & alia arbitraria: vide ibi quinam excipiantur.
- 24 Prædictum decretum latum Roma ex commissione Papa ad alias Prouincias non extenditur.
- 25 Literas scribere ad Moniales licet in iuribus practicatis non sit prohibitus, attamen in aliquibus Diocesis iure speciali id vetitum est.
- 26 Gregorius XIII. præcepit quibusdam Regularibus sub pena excommunicationis lata sententia, ne scriberent literas Monialibus sui Ordinis; nec propterea ex his quis Regularis, si Moniali scribat, contrahit excommunicationem.
- 27 Effectus, seu finis extrinsecus non est regulariter materia legis, seu præcepti, & non cadit sub præceptum.
- 28 Scriptio literarum est effectus intrinsecus, quem significant illa verba, tamen id locum habet quando legislator non petit expressè, vel tacite effectum extrinsecum.
- 29 Premittens inuenire latronem non satisfacit inueniendo, nisi eum captum etiam iudici exhibeat.
- 30 Statutum Episcopi ligans excommunicatione accedentes, loquentes, vel scribentes ad Monasteria Monialium, extenditur etiam ad Monasteria exempta, & Regularibus subiecta.

Aduerte tamen, quod in cap. Monasteria, prohibetur tantum frequentatio: & in cap. periculoso, prohibetur quilibet accessus. Item in cap. Monasteria,

Monasteria, sit mentio tantum de clericis, & laicis (quare cum finis in materia pœnali, nomine clericorum non veniunt Religiosi, nec Episcopi, nec alij clerici in dignitate constituti, nec Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vti dicebam *du- bir.* 26. Et ratio est, quia hi speciali nota digni sunt: veniunt tamen, si verba simpliciter ita generalia sunt, vt ad quoslibet extendantur. Abbas *in rubr. de vita, & honest. clericor. num. 4.* Angelus, Syluester, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 6. cap. 15. num. 74.*) At *in cap. periculo- so*, sit mentio vniuersaliter de omnibus, ac aperte tam de viris, quàm de fœminis, ibi: *Nulli in- honeste persone, nec etiam honeste*; quod inde confir- matur, quia statim ibi subditur, *ingressus, vel accessus pateat ad eisdem Moniales*. At manifestum est, ingressum prohiberi tam viris, quàm fœminis: ergo idem de accessu.

2. Aduerte secundò, quod *in cap. periculo- so*, nulla pœna imponitur accedentibus ad Monaste- ria Monialium; at *in cap. Monasteria*, iubetur Episcopus præsumentes ea frequentare (si clerici sint, & ab Episcopo moniti id facere non desti- terint) ab officio Ecclesiastico immunes reddere, id est, suspendere; si verò laici sint, nec moniti ab Episcopo id facere destiterint, iubetur Episco- pus eos excommunicationi subdere, & à cœtu fi- delium facere penitus alienos. Quæ verba, cum sint futuri temporis (scilicet, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni) important censuras non latas, sed ferendas. Do- ctiores communiter in tractatu de censuris, & Tira- quell. *in l. si enquam, num. 39. & segg. Cod. de reuo- candis donat.*

Obiicies: hæc verba, à cœtu fidelium fiant penitus alieni, videntur superflua; quia iam prius dictum fue- rat, excommunicationi subdantur, quod est formaliter à cœtu fidelium excludi.

Respondetur, nego antecedens; quia prius intelligitur de excommunicatione minori, poste- rius autem de maiori; sic nonnulli: vel melius quia excommunicatio simpliciter prolata intelligi- tur semper de maiori, *cap. si quem, de sent. excomm.* Respondetur secundò, ly &, stat pro id est, quod contingit quotiescumque dictio copulatiua ponitur inter duo, quorum vnum est effectus alterius, ex *l. 1. ff. de pactis*, & docent Ioan. Andr. *in cit. cap. Monasteria, n. 4.* Hostiens. *ibid. in fin. Abb. num. 4.* Ancharan. *numero 4.* Cardinalis *num. 3.* Gutierrez *lib. 3. qq. pract. quest. 13. numero 6.* Gonzalez *ad regul. 8. reg. 3. numero 9. & segg. Cened. pract. 9. sing. 50. numero 6. & 12.* & Barbosa *de dictionib. dict. 93. num. 7.* asserentes, per dictio- nem (Et) positam inter duo, quorum vnum inest alteri, ambo resolui in vnum, & vnum esse ve- lut adiectionem alterius. Vel respondetur ter- tiò, prius intelligi de excommunicatione maiori, posterius autem de eius denunciatione: vt sic à fidelibus euitentur: Ioan. Andr. Abb. & Ancharan. *ibidem.*

8. Aduerte tertio, quod cum dicitur *in cap. Monasteria, vt antequam hæc pœna Monasteria fre- quentantibus infligantur, arceantur illi ab Episco- po*; sensus est, monendo corrigantur. Ioan. Andr. *ibi num. 2.* & Cardinalis *num. 2.* quare rectè dixit Gloss. *ibid. verb. non destiterint*, opus esse, vt has pœ- nas præcedat monitio: postquam autem moniti sunt, satis est, vt his pœnis puniri possint, si vel semel tantum post monitionem ad Monasterium Monia- lium accedant; quia ex tunc sunt contumaces, &

accedendo dicuntur non desistere; Ioan. Andr. *ibid. num. 3.* Hostiens. *num. 2.* Cardinalis *num. 1.* Imola; & Ancharan. *in fine.*

Aduerte quartò, quod clerici etiam Mona- steria frequentantes, si moniti non respuerint, possent vltra pœnas dicti *cap. Monasteria*, puniri pœna excommunicationis, ac tandem pœ- na depositionis; *cap. vt clericorum, de vita, & honest. cleric.* & tradunt Ioan. Andr. *in cit. cap. Monasteria, num. 3.* Cardinalis *num. 1.* & Imola *in principio.*

Aduerte quintò, quod frequentare Monaste- ria satis habetur per duos accessus; quia actus geminati consuetudinem inducunt, *cap. 3. in fin. Cod. de Episc. audientia*; sic Glossa *in cap. ita nos, 1. quest. 2. verb. esum*, vbi ait, in criminibus duabus vicibus induci frequentiam, & *in cit. cap. 3. in fin. Cod. de Episc. audientia, verb. Con- suetudini*, vbi dicit, in criminibus duabus vici- bus induci consuetudinem; & *in cap. Monasteria, verb. Frequentare, de vit. & honest. cleri.* vbi pas- sim Canonistæ tradunt eandem doctrinam, quæ est conformis iis, quæ dicebantur *cap. 16. di. 13.* quamvis alij sentiant id relinquendum esse arbitrio prudentis viri: sic Ioan. Andr. *eadem cap. Monasteria, in fin.* Hostiens. *ibid. num. 2.* An- charanus, Cardinalis; & Imola *in fin. Nauar. com- ment. 5. num. 61. de Regular. Rodrig. tom. 1. qq. Reg. quest. 45. art. 4.* Miranda *in tract. de Monia- lib. 9. 4. art. 1. ad fin.* Campanile *in rubr. 12. cap. 16. num. 40.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. 3. part. allegat. 102. num. 70.* & Llamas *in Append. §. 4.* ita vt frequentiam esse, dici possit, si quis ad Monasterium accedat bis in vno die, vel terri- bus diebus continuis, vel quater in eadem heb- domada, vel semel in singulis hebdomadis, aut mensibus; sedus si quater in anno, vel se- mel ternis mensibus. Quæ sententia est satis pro- babilis.

Aduerte sextò, quod nomine Monasteriorum quæ adiri, vel frequentari prohibentur, proba- bilius contra Hostiensem citat, *cap. Monasteria, numero 1.* Ioan. Andr. *ibid. numero 1.* Imolati *numero 1.* Panormitanum, & Cardinalem *numero 3.* veniunt Moniales, ita vt sumatur continens pro contento: sic Innocent. *in dicto cap. Monasteria*; quare docent Nauar. *comment. 4. num. 61. de Regular. Rodrig. tom. 1. qq. regul. quest. 45. art. 2.* & Bonacina *de clausura, quest. 3. punct. 1. num. 3.* non prohiberi etiam frequentiam Monasteriorum cau- sa audiendi diuina, vel videndi exteriorem or- natum Monasterij, vel simili alia de causa, sed solum causa loquutionis, vel aspectus, siue acti- ui, siue passivi, Monialium; & rectè; quia hoc solum videtur aliquo modo perfectam Mo- nialium clausuram infringere; tum quia *in capit. pe- riculo- so*, loco Monasterij dicitur; *Ad Monia- les*, ibi: *Nulli pateat ingressus, vel accessus ad Mo- niales.*

Aduerte septimò, quod ne frequentia, vel etiam accessus ad Monasteria sit prohibitus, re- quiritur simul rationabilis, & manifesta causa; patet ex eod. *cap. Monasteria*, & *cap. periculo- so, de statu Regul. in 6.* quia dicta iura petunt vtrumque, vt citati Canonistæ ibi; debet autem esse manifesta, non quidem omnibus, vel maiori parti populi, sed soli concedenti, sicuti dicebam *dubitat. 39.*

An autem consanguinitas sit simul rationabilis & manifesta causa?

Responde

Respondetur negatiue, quia (vt dicitur in *cap. definimus*, 18. *quest.* 2.) non modicum detrimentum patiuntur Moniales ex hac consanguineorum frequentia: & ita docent Hostiens. in *ead. cap. Monasteria*, num. 2. Ioan. Andr. *ibid.* num. 2. Abb. num. 3. Anchar. n. m. 3. Imola num. 2. & Cardinalis num. 3. quamvis aliqui rectè excipiant parentes, fratres, & sorores Monialis, ex eo, quod istorum frequentia non sit indecens, nec scandali causa; & multò minor causa requiratur ad accessum, quàm ad ingressum, cum multò minus sit accedere, quàm ingredi. Rodriguez *cit.* art. 4. Bonacina *de claus.* *quest.* 3. *punct.* 5. num. 11. & Homobon. *part.* 2. *cas.* 5. *vers.* 2. *pag.* 391.

18 Quod limbo, nisi peculiaris extet prohibitio contra quoscumque consanguineos accedentes: fieri enim potest, vt iusta subsit causa, propter quam quibuscumque consanguineis prohibentur accessus ad Moniales; sicuti rectè adnotarunt Hostiens. Ioan. Andr. Anchar. Rodrig. Bonac. & Homobon. in *locis supra cit.*

19 Aduerte octauò, quod ne frequentia, vel etiam accessus ad Monasteria sit prohibitus, requiritur, etiam præter rationabilem, & manifestam causam, licentia Superioris; patet ex *ord. cap. periculoso*, in *princip.* sufficit tamen hic, quod licentia sit tacita, vt si Prælatus verbi gratia videns accessum, & potens illum impedire, non impediat, quia hic non iubetur expressa, & de ratione privilegiij non est scriptura, nisi sic de iure decernatur. DD. quos sequitur Rodriguez *tom.* 1. *quest.* 45. Porro licentiam hanc potest dare etiam Abbatissa (etsi non ei, cui Prælatus accessum prohibuit) contra Bonac. *de claus.* *quest.* 3. *punct.* 5. num. 7. & ratio esse potest, quia accessus est multò quid minus, quàm ingressus, vti supra dicebam. At de hac, & simili alia licentia concessa, vel concedenda, vide plura *dub.* 32. & *seqq.* & *dub.* 55.

21 Aduerte nonò, quod extant diuersa iura prohibentia loqui cum Monialibus; siquidem in *cit. cap. definimus*, 18. *quest.* 2. sancitur, quod si necessaria vitæ ad Moniales deferantur, ea extra ianuam Abbatissæ suscipiat: & Monachus propinquum Monialem inuifere volens, cum ea modicè, ac breuiter, ac in præsentia Abbatissæ loquatur, & statim abeat. Item in *cap. 10. actioe* 18. *quest.* 2. dicitur, non licere Abbati, nec alij Superiori loqui cum Monialibus, præterquam cum Abbatissa, nisi rarò, & breuiter, & præsentibus duabus, vel tribus personis. Item anno 1590. editum fuit decretum à sacra Cardinalium Congregatione, vt nulli Religioso, exceptis Superiore Monialium, & Confessario ordinario & extraordinario (cùm ad tempus deputabitur) liceat absque expressa eiusdem Congregationis licentia accedere ad Monialium Monasteria, siue sui, siue alieni ordinis; nec ipsas Moniales, nec alias personas intra clausuram existentes alloqui. Et Confessariis similiter interdixit, ne in ædibus Monasterij, vel ei contiguis pernoctent, vel alios pernoctare faciant, nè ibi comedant, bibant, reficiantur, aut cibum sumant, excepto Confessore: quæ omnia, & singula præcepit obseruari sub pœna priuationis officiorum, & vocis actiue, & passiuæ ipso facto incurrendæ. Item

23 Romæ promulgatum est decretum à Vicario Pontificis de illius commissione, ne vir, vel fœmina nocte, aut die loquatur, vel scribar alicui Moniali, vel Prælato, vel puellæ in Monasterio quacumque de causa inclusa, sine Vicarij Pontificis, vel Ordinis Protectoris licentia, sub pœna 500. aureorum,

& alia arbitraria, exceptis deferentibus eleemosynas, aut opera manuum ab eis facienda, qui solum Abbatissam, aut eius Vicariam alloqui possunt. Quamvis Nauar. *comment.* 4. numero 61. *de Regul.* & Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul.* *questioe* 45. *art.* 3. doceant, decretum hoc ad alias prouincias non extendi, & meritò, quia exigit illud licentiam Vicarij Papæ, vel Ordinis Protectoris, qui Romæ solum degunt. Vide quæ de loquutione cum Monialibus, diffusè dicebantur *cap.* 14. *dubit.* 7. *per totam.*

Aduerte decimò, quod licet in præcatis iuribus non sit interdictum literas scribere ad Moniales, & si non sit communis, & vniuersalis de hac re prohibitio; tamen in aliquibus Diocesis iure speciali id veritum est, sicut etiam Gregorius XIII. præcepit quibusdam Regularibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne scriberent literas Monialibus sui Ordinis.

An autem ex his quis Regularis talem excommunicationem contrahat, si Moniali scribat literas, quæ ad eam non perueniant aliqua ratione, vt si interceptantur in via?

Respondetur negatiue, quia licet cum dicitur l. 1. §. hæc autem verba, ff. *quod quisque iuris*, & ex *cap. hæc autem verba*, de *pœnis*, verba cum effectu intelligenda esse; hoc dictum regulariter non sit intelligendum de effectu, seu fine extrinseco; effectus enim, seu finis extrinsecus non est regulariter materia legis, seu præcepti, & non cadit sub præceptum; sed de effectu, seu fine intrinseco, quem verba propriè significant (vt ex multis probat Nauar. in *cit. cap. hæc autem verba*, num. 10. & 11.) & in casu nostro scriptio literarum est effectus intrinsecus, quem significant illa verba; tamen id locum habere dicendum est, quando legislator non petit expressè, vel tacitè effectum extrinsecum, ex l. 1. *Cod. de fideiuss.* vbi dicitur, promittentem inuenire latronem, non satisfacere inueniendo, nisi eum captum etiam Iudici exhibeat: & ita videtur esse in casu nostro, quia hæc videtur esse mens, & intentio Superioris literas scribi prohibentis; cum parum referat in casu nostro, literas scribi, nisi perueniant: Miranda *de Monialib.* *quest.* 4. *art.* 5. Bonacina *de claus.* *quest.* 3. *punct.* 2. num. 6. loquens etiam de excommunicatione lata contra scribentem ad Cardinales in Conclauis existentem. Rodriguez *cit.* *quest.* 45. *art.* 3. & Nauar. *lib.* 5. *consil.* *tit.* de *sent. excommunic.* *consil.* 60. *edit.* 1. qui tamen subdit, dictum Regularem excommunicationem contrahere si dictæ literæ per relationem personarum fide dignarum ad Monialem perueniant: sed adhuc probabilius est oppositum, quia id non est verè ad Monialem peruenire literas, sed potius quoddam literarum nunciium, quatenus ei significatur, quid in eis continebatur.

Cæterum, an Episcopi statutum ligans excommunicatione accedentes, loquentes, vel scribentes ad Monasteria Monialium, extendatur etiam ad Monasteria exempta, & Regularibus subiecta? Vide *cap.* 14. *dubit.* 5. *sect.* 3. numero 18. & *sequentib.*